



SALUBERRIMÆ

Monspeliensium Medicorum Academiae benè de se meriti-
ssimæ sibi in æternum colendæ gratitudinis ergò
D. D. C. HOC Primum Doctrinæ Medicæ Specimen
HENRICUS SOLAND Sebuzianus.

QUÆSTIO MEDICA.

An à Systematum varietate Medicina præstantior.

Quam ad primam Apollinarem lauream consequendam in celeberrimo
Monspeliensium medicorum lyceo publicè propugnabit HENRICUS
SOLAND Sebuzianus, Artium liberalium Magister & jamdudum
Medicina Studiosus, ab horâ octavâ ad meridiem, die 15. Septembris 1710.

Præside Illustrissimo viro D. D. PETRO RIDEUX
Regis Consiliario & Medico, nec-non in almâ Monspeliensium
Medicorum Academia, Professore Regio dignissimo;
& Regiæ Scientiarum Societatis Socio.

O LIM Medicina suis florebat legibus, nunc ruit alienis; hinc
quò quis ad excogitandum ingeniosior, eò quasi alter redivivus
Hippocrates, novitatis furo superbiens, peritior censetur. Cave
interim ne in tantâ Systematum varietate falsâ veritatis imagine delusus;
Salebrosam medicinæ viam incerto pede premas, sicque umbratilem
doctrinam pro genuinâ amplectendo, nubem pro junone captes: in hac
enim ætate tot diversorum systematum feraci ad medicinam cunctibus
magis aditum occludi putes, quàm juvenum animos informari. Intima
naturæ penetralia reserare cupis, nihilque te fugiat eorum quæ ad medi-
cinam pertinent, ipsius motuum sis auceps sedulus, compendiosam ra-
tiodinandi viam te vel muta edocebit: agendi enim simplicitas simplicem
conciipiendi modum exoptulat, rationum multiplicitas impotentiam
arguit; hinc plus in arte nostrâ valere experientiam naturæ motibus ex-
pressam comperies, quàm sæpè distortam neotericorum rationem; illam
eorum unum quemque vel invitam in sui partes trahere videbis incon-
cussus: & constante experientiâ ex maximâ parte rationi concessum pu-
tabis; hâc enim monstrante viam natura satis abundè intelligitur, ratio

num varietate sæpiùs obscuratur. Systema enim somniantis animæ nunc potius ludibrium definias, quàm veram naturæ indagacionem, sic eam præstantiorem medicinam colliges, quæ majori simplicitate gaudet, pejorem, quæ multâ systematum varietate intricata, leviusculis experimentis fulta, deviis rationibus munita, in dies crescit & augetur.

Natura ubique sui similis semper eundem operandi modum servat, suisque ritè instructa organis, pro diversâ illorum configuratione, nil fermentorum indiga diversimodè operatur; sic alimenta inventriculum ingesta solâ partium trituratione fundit & liquat, undè chylus proxima sanguinis futura materies emergit. Dum cruori novus hospes intimè permiscetur, naturæ simplicitatem demireris! A veteri sanguine adhuc crudus subigitur, attenuatur, ac tandem crassioribus particulis repurgatus, factusque fluidior, in ipsammet purpurei laticis substantiam, solo circulationis motu facefcit; donec in diversis machinæ incerniculis millemodis prius agitato, suis sordibus tandem omnimodè spoliatur. Harum aliæ quales sunt urina, sudor, lachrymæ tanquam inutiles foràs amandantur, dum aliæ ad peculiare usus à reliquo sanguine in diversis diverticulis separatæ, coacervari solent; hinc bilis, succus pancreaticus, saliva multiplex, lymphæ, spiritus animales, adeps, &c. Sic quandiu sui juris natura sanguinis defæcatione, suimet ipsius conservationi perenniter invigilat, solisque mechanicæ adjuta legibus sanitatem servat ac tuetur: dum enim fibrarum quibus constant viscera, ea est firmitas, quæ pro suâ cujusque configuratione, pororumque structurâ, quidquid sibi noxium est, valeat aut respuere aut contractione abigere, tunc hominem integrâ sanitate frui putes: secùs enim fatiscens natura gemit sub pondere morbi, tuncque inspissatum alicubi sanguinem suspiceris; de sanitatis enim essentiâ est, ut libere fluat sanguis, undè fluidi motus solidique resistentia individui naturæ comites probantur.

Mirum est! quàm à simplicissimis hisce naturæ legibus, quamplurimi recedant novatores, qui nimio novitatis amore capti, mille diversas opiniones in medium proferunt, quæ plus ostentationis quàm doctrinæ complectantur. Hinc quosdam in quæstionibus hæere videas, quæ ritè excussæ nihil ad artem conferant, ipsosque ita sollicitos demireris, ac si de totâ republicâ ageretur, ut pilis vitam tribuant, aut mathesin medico necessariam probent: quasi verò pilos non vitâ communi conjungi maximum sit artis dedecus, aut medicinam ad numeros saltare oporteat. Illi naturam cruoris indagantes, eum sanguinem rubro colore tinctum animadverterent, hunc ejusdem naturæ globulis in humore crystallino natantibus maximo ex.

perientiæ conatu conflari judicant; at quantum inde utilitatis accesserit medicinæ, inde colligas, ac si sanguinem albo & rubro constare improbo labore detexissent. Nec minus risum moveant, qui humanæ, ut inquit, tenuitatis conscii, de naturæ cognitione superbè diffidentes, demonstrationes vel à præstantiori Physicâ desumptas aut tanquam inutiles, aut tanquam ad artem medicam parùm pertinentes, respuunt; sicque quâ benè quâ malè, nulloque naturæ respectu ægrotis exhibent remedia, ignotamque artem agitantes inglorii, de corio humano ludere non desinant. Isti quos nullus fatigat pudor generationis nodum satis abundè soluisse sibi gratulantur, si infinita propemodùm animalcula quibus vermium nomen inditum est, ope microscopii in semine virili deprehenderint, aut deprehendisse putent, quæ mulierum utero recepta, succoque alibili nutrita, tandem homines evadant; non benè naturæ simplicitatis memores, quæ innumeros in ipso vitæ limine trucidaret homines, ut unus in actum erumperet.

Cor musculus, sicut ab Hippocrate, sic ab omnibus definitum, cuique circulationis jura dare concessum erat, suum placidè motum à sanguine mutuabatur, nunc tumultuosè à quibusdam neotericis frustratur, factumque duræ meningis minister ab eâ, ut ajunt, tanquam altero corde propter omnimodam structuræ similitudinem, undè ipsam cor cerebri appellant, suæ impulsionis motum accipit; hosce novatores maximè cordatos jurè an injuria dixeris, qui duplici corde vel invitâ naturâ gaudere velint. Sed quod mireris idè cor à sanguine non moveri statuunt, ut suæ meningi blandiantur, quòd quædam exsecta è vivis animalibus corda, ne quidem guttâ sanguinis in ipsis relictâ, ad tempus suas tamen pulsationes edere videantur; quasi tunc temporis à dura meninge, cui nullomodo respondent, motum potius mutuentur. Medicinæ culinarii salia salibus aptantes, medicinam acore suo inficiunt: rationem quæris, ab acido alimentorum dissolutionem, ab eodem morborum causas deducunt, sic eandem morbi & sanitatis causam probant. Tota tamen alcalium acidorumque nomine resonat medicina, ad quæ si omnem morborum originem tanquam ad genuinos fontes non retuleris, frustra te medicum jactites; sed solos in artè rudes hoc capiat systema, sanguis recoctus alcalia profert, inquit, concedimus, vapescens aut nimis detritus accessit, verosimile est; sed quipam sint certi acidorum Characteres, quæ gentilitiæ sint eorum agendi virtutes frustra quæsieris: solus noscat is qui propter semet ipsum omnia operatus est; hisque tuas aptare indicationes omninò periculosum pura, acetum, omphacium sunt de acidorum genere: quàm sint diversa vel imperitis notum est; sic rerum essentiæ non dignos-

cuntur, ipsarum indoles naturæ motibus innotescit. In febre continuâ æstu præferuido torrentur viscera, obstinata ægrotantem occupant vigiliæ, urget importuna sitis, furore micant oculi, phrenitis succedit, saphena vena tunditur, velocissimo impetu in arcum prorumpit sanguis, quis indè cruorem cæspitare, aut inspissati conjiciat, nonne, sanguinem in velocissimum orbem rotatum potius deduxeris.

Novum oritur medicinæ systema, naturæ dissolutionem time, novatores diversis innixi principiis, dum ipsiûs indagacioni student impensius, suis ipsam rationibus & experimentis obtruunt & labefactant, causam sciscitaris? è novis rationibus novas eruunt indicationes, à novis indicationibus nova repetunt medicamenta, hinc legitima pervertitur medendi methodus; nullum enim tam inconcussam medicinæ principium putaveris, quod probabili ratione convelli non possit. In tantâ opinionum diversitate, quæ calcanda tibi sit via quæris! suo quemlibet insanite modo permittas. Ex humano corpore spiritus animales turpiter expungi obstupescis, divique senis ruere doctrinam luges, mireris, sed non inideas. Medicos de ovali sætus foramine intueris sollicitos, semper auditor tantum nunquam reponas, nugas interim putaveris. Ad explicandam morborum naturam coagulationis systema jejunius exploras, talem ratiocinandi modum suis authoribus lubenter permittes; quid acerbum, ansterum, smarum, in humano corpore valeant ab Hippocrate edoctus interim mediteris. Opposita cum oppositis in Chymiâ fervere vides, quot illidunt scopulis qui ad alcalium familiam in morbis confugiunt indè colligas; sicut enim quædam acida alcalium vices gerunt, sic & quædam alcalia acidorum vices interdum gerere probabile puta; non te tamen omnia neotericorum inventa latere velim, sicut enim quam plurimis sua inanis garrulitas, sic & quibusdam sua laus quamplurima; hos ad solius mechanicæ leges morborum cum curationes, tum causas referentes arbitreris. His adjutus quo natura vergit eò duces, diversosque ipsius motus ipsâ monstrante viam expendens, non populari fultus rumore famam subripies specificis, nec praxeos novitati studebis ambitiosius: sed persequi cocta, cruda digerere, invigilare orgasmo, non indocilis naturæ scrutator; hinc si quid initio morborum movendum, naturæ conatu primùm admonitus, movebis: sæpè enim ibi non est expectanda coctio, ubi nulla futura est; sic systematum derisor perpetuus, sublevandæ soli naturæ tuto, citò, & jucundè prudens invigilabis, omnique systemate naturam superiorem agnosces.

N. O. N. ergo à Systematum varietate Medicina præstantior.